

et ratio dubitandi esse potest, quia verisimile est superiorem non concessurum dispensationem, si prioris denegationis memoriam vel notitiam haberet. Et ita dispensationem esse nullam indirecte asseruit Menoch., libro secundo de Arbit., casu 203, numero sexto: contrarium tamen opinatus est Sanc., l. 8 de Matrimon., disp. 22, n. 14, quia hoc nullo jure disponitur, neque ab aliis auctoribus asseritur, nec sufficienti ratione probatur. Quæ sententia mihi etiam placet, quia illa præsumptio nullo jure fundata est, nec per se spectata est sufficiens. Et quidem si in secunda petitione plures rationes et causæ allegentur, quæ dispensationem magis honestent, et superiorem magis movere prudenter possint, tunc nec probabilis est illa præsumptio, nec in eo casu superior esset rationabiliter invitus. Si autem nihil de novo additur, sed eadem repetitio et cum eisdem circumstantiis, vel causa prior erat sufficiens ut dispensatio esset valida, si concederetur, et ita in secunda vice erit sufficiens, quia prior denegatio nihil ad causam refert, et ob eam solam causam denegare dispensationem non videtur rationi consentaneum; nam si justa causa subest, potius decet priorem rigorem temperare; aut vero justa causa dispensandi non subest, et tunc neganda esset dispensatio, etiamsi prius negata non fuisset. Hæc ergo circumstantia præcedens, vel memoria ejus, impertinens est ad valorem dispensationis postea subsequatæ.

2. *De quo procedit præcedens resolutio.* — Atque hæc resolutio procedit, tum in eadem persona, quando propter mutationem temporis prioris denegationis oblita est; nam de illa maxime procedit discursus factus; tum in successore respectu prædecessoris in eadem sede, quia habet eandem potestatem, et non regitur per iudicium et voluntatem sui prædecessoris, et ita in illo multo minus probabilis est illa præsumptio involuntarii, præterquam quod hic etiam nihil ad causam refert. Tum præterea idem procedit in superiore respectu inferioris, ut si Episcopus neget dispensationem alicujus voti non reservati, et a Papa postea obtineatur, non facta mentione prioris recursus ad Episcopum, valida erit dispensatio, quia multo magis videtur impertinens illa circumstantia respectu superioris; minus enim regitur inferioris iudicio aut ex eo pendet, multoque minor præsumptio involuntarii est in superiore, minusque ad causam refert.

3. At vero e contrario nonnulla difficultas est, si superior dispensationem negavit, et pos-

tea inferior inscius illius negationis illam concedat. Quia inferior tenetur præsumere superiorem juste negasse dispensationem; ergo de illo etiam merito præsumitur non fuisse concessurum dispensationem, si sciret fuisse a superiore denegatam; ergo illa taciturnitas seu ignorantia causat in inferiore justum involuntarium; ergo, illa ratione, erit invalida talis dispensatio. Unde in hoc casu dispensationem inferioris esse invalidam tenet idem Sanc., dicto lib. 8, disput. 14, n. 5, quamvis propter aliam rationem, scilicet, quia eo ipso quod Pontifex denegavit, videtur facultatem auferri inferiori in illo casu particulari dispensandi, nisi nova causa emergente, seu proposita. Juxta quam rationem non fundatur hæc nullitas in defectu voluntatis, sed in defectu potestatis. Unde fit, juxta hanc sententiam, ut, licet Episcopo declaretur Pontificem in tali casu noluisse dispensare, licet dispensare tentet, nihil efficiat, quia privatus est potestate. Sicut, postquam Pontifex aliquem condemnavit, non potest Episcopus illum absolvi, licet fortasse potuisset si causa prius ad illum delata fuisset.

4. Hæc vero ablatio potestatis, præsertim ordinariæ, mihi non videtur sufficienter probari, quia illa præsumptio nullo jure fundatur, neque ex illo facto sufficienter colligitur, considerata natura dispensationis, quæ est quædam gratia. Cum enim dispensatio non sit debita, potest denegari a Pontifice ex sola voluntate: ergo per hoc non est cur censeatur auferre ab inferiori potestatem illam concedendi, si velit. Deinde denegatio dispensationis potest provenire ex particulari iudicio, quod talis causa non sufficiat ad justam dispensationem; sed Episcopus non tenetur conformari Pontifici in hoc iudicio: ergo neque in eo casu tenetur præsumere fuisse mentem Pontificis in illo casu sibi auferre potestatem dispensandi. Imo potest præsumi voluisse se exonerare, tacite subditum ad suum ordinarium remittendo. Consequentia cum majori videtur clara. Minor autem patet, quia, licet Papa non soleat dispensare ex aliqua causa, neque admittere illam ut sufficientem, potest Episcopus dispensare ex illa, si probabiliter iudicet esse legitimam. Quod concedit idem Sanc. supra, quando de illa consuetudine, seu iudicio Pontificis ex aliis casibus in generali constat, non vero quando in particulari casu præcessit denegatio dispensationis.

5. Sed non video quid hoc referat, aut cur inde censeatur ligata potestas inferioris, cum illa denegatio tantum sit applicatio propriæ

voluntatis ad operandum juxta proprium iudicium, cui non repugnat ut alteri relinquatur sua potestas, et arbitrium operandi etiam juxta iudicium suum. Neque per hoc derogatur potestati Pontificis, quia inferior, dum non prohibetur, potest in suo foro uti sua potestate ut iudicaverit expedire; hic autem nulla facta est prohibitio. Nec petitio prius oblata Pontifici operatur præventionis effectum, ne liceat postea id ab inferiori petere; tum quia in usu jurisdictionis voluntariæ non habet locum hæc præventio, cum liberum sit postulanti recedere a priori petitione, et aliam intentare, ut sensit Navarr., cons. 1 de Offic. deleg., et idem Sanc. supra, n. 3; tum etiam quia superior, negando dispensationem, jam quodammodo a se abiecit casum illum. Unde etiam non est simile, quod de condemnatione a superiori facta afferebatur, quia condemnatio fit per sententiam quæ includit præceptum, et imponit obligationem quam non potest inferior auferre: negatio autem dispensationis non fit per sententiam iudicam, nec præceptum aliquod vel obligationem superior per illam imponit, sed solum relinquit præexistens vinculum, denegando usum propriæ potestatis: ergo non est cur inde censeatur ligata et diminuta inferior potestas.

6. *Dispensans non ignorans priorem denegationem, si iudicat causam esse justam, valida erit dispensatio.* — Censeo igitur in illo casu posse Episcopum dispensare, et consequenter, si id faciat non ignorans priorem denegationem et iudicans causam esse legitimam, dispensationem esse validam, quia neque habet defectum potestatis, nec voluntatis, nec justitiæ. Imo, si dispensatio esset in lege propria, sufficienter potestas et voluntas, juxta superius dicta. Unde ulterius in nostro casu, quando Episcopus ignorat priorem recursum ad Pontificem, etiam existimo taciturnitatem illam non reddere dispensationem surreptitiam, vel nullam, quia supposita potestate, quoad voluntatem eadem est ratio in inferiori quæ in æquali vel superiori, ut ex dictis facile constat.

7. Et hæc resolutio, ut dixi, maxime procedit in inferiori ordinario, quia ordinaria potestas difficilius tollitur, et majorem causam requirit; et ideo in delegato ad dispensandum videri potest magis verisimile, quod privetur potestate dispensandi in casu, et ex causa quæ delegantem non movit, aut certe quod non præsumatur a principio delegata potestas pro similibus casibus. Sed nihilominus etiam in delegato contrarium censeo, quia potestas generaliter et sine restrictione commissa non est

restringenda sine majori fundamento, et rationes factæ etiam probant ex sola denegatione non posse colligi diminutionem prioris potestatis, etiam delegatæ: nam sæpe superior committit alteri potestatem delegandi, quia ipse non vult vel non audet sua uti, et quia, quando potestatem delegat, prudentiæ delegati committit iudicium causæ justæ. Supposita autem potestate in delegato, quod pertinet ad voluntatem, rationes eodem modo procedunt, et ideo indistincte verum est in eo casu non committi surreptionem quæ dispensationem reddat invalidam.

CAPUT XXIII.

AN TACITURNITAS PRIORIS DISPENSATIONIS OBTEŒ REDDAT POSTERIOREM INVALIDAM.

1. Multi jurisperiti indistincte affirmant, sicut impetratio secundi beneficii, vel secundi rescripti justitiæ, facta sine narratione prioris beneficii, vel rescripti jam obtenti, est surreptitia et nulla, ita secundam dispensationem obtentam sine mentione primæ esse surreptitiam. Ita notat Glossa in cap. 2 de Filiis Presbyter., quæ ibi ab expositoribus et communiter a juristis approbatur, ut notat Rebuff. in Pract., tit. de Dispensat., n. 24 et 25, et tit. de Dispensat. super defectu natalium, n. 59, et Covar., l. 1 Variar., cap. 20, n. 8, vers. quarto, in fine; Molin., lib. 2 de Primogen., cap. 4, n. 50 et seq.; et Gutier., lib. 2 Canon. quæst., cap. 15, n. 91; et plures refert Sanc., lib. 8 de Matrimon., disp. 22, n. 2. Quæ sententia præcipue fundatur in dicto cap. 2 de Fil. Presbyter., in 6, et in cap. penult. de Prescript. Ratio vero seu congruentia est, quia Pontifex vel non concederet, vel difficilius concederet dispensationem secundam, si de priori mentio facta fuisset.

2. *Variæ limitationes præcedentis sententiæ.* — *Prima limitatio.* — Hæc vero sententia variis modis limitatur ac declaratur. Primus est, ut procedat, quando dispensationes ad diversum finem tendunt, et sunt obtenta propter diversos effectus: secus vero si propter eundem, quia, cum una sufficiat, non est necesse facere mentionem de alia. Ita habetur in additione ad Rotam in decis. 2 de Filiis Presbyter., in novis, n. 5; alias in novissimis, tom. 3., lib. 2, decis. 47, et sequitur Mandos. de Signatura gratiæ, tit. de Dispensat., in fine. Quam sententiam referens Sanc. supra, n. 5, dicit penitus illam non intelligere, neque sine

magna occasione. Quia potius fere omnes auctores declarant et limitant sententiam communem, ut intelligatur, quando secunda dispensatio versatur circa idem cum prima, et tendit ad tollendum eundem defectum, impedimentum, aut vinculum: nam si cadant super diversas materias, et tendant ad fines seu effectus omnino disparatos, omnes fatentur non esse necessarium in secunda dispensatione facere mentionem prioris. Ita Panormitan., in dicto cap. penult. de Præscript.; et Navar., cons. 8 de Rescript., et cons. 8 de Consanguinit. et affinitat., n. 6; Sanci., supra referens alios. Estque verissima sententia quoad hanc partem de dispensationibus omnino diversis, ut sunt dispensatio in recitatione horarum, verbi gratia, et in voto castitatis: nam si quis alteram impetravit, nullam surreptionem committet petendo alteram sine mentione prioris, et ita secunda sic obtenta erit valida; et idem est in omnibus similibus. Et hoc satis confirmat generalis consuetudo, frequenter enim ita dispensationes successive petuntur juxta occurrentes casus ac necessitates. Ratio autem est, quam tetigit Panormitanus, quia nullo jure cavetur ut fiat mentio talis dispensationis prioris, neque ex natura rei necessaria est: nam illa taciturnitas per se non causat involuntarium, ut videtur ex se manifestum. Quid autem potuerit additio ad Rotam intendere in prædictis verbis, infra, prout potuero, conjectabo, ubi alteram partem hujus sententiæ examinabo.

3. *Secunda limitatio.* — Secundo, limitata hæc sententia ad dispensationes quæ circa idem versantur, amplius declaratur, ut procedat quando secunda dispensatio petitur ad extendendum effectum prioris circa idem vinculum, seu defectum tollendum. Ita tenet Sanci. supra, n. 6, cum multis aliis quos refert, et præsertim id explicat Panormit. in dicto c. penult., n. 17. Hæc vero sententia et declaratio tam generaliter facta mihi est creditu difficilis, quia neque jure nec ratione video sufficienter probari. Primo enim fundatur, ut dixi, in dicto cap. 2 de Filiis Presbyter., in 6; inde autem non probatur, quia in illo textu dicitur, si illegitimus dispensationem obtinuit ad unum beneficium, et, non facta mentione sui defectus natalium, obtineat secundam dispensationem ad plura beneficia, posteriorem dispensationem esse surreptitiam, ac nullam. Ponderanda ergo sunt illa verba, *tacito prædicto defectu*, juxta quæ non erat necessarium in secunda dispensatione facere mentionem

primæ, sed tantum de personæ defectu, quia hæc duo diversa sunt, et textus tantum de uno loquitur. Et ita intellexerunt textum illum ibi Domin. et Franc. Unde colligunt quod, si ille illegitimus, declarando se esse illegitimum, peteret dispensationem secundam, nulla facta mentione primæ, valida esset dispensatio.

4. Et hæc sententia quoad hanc partem mihi probabilissima videtur; tum quia ille impleret quidquid ex vi verborum illius textus ad non committendam surreptionem necessarium est, ut ponderavi; ergo aliquid aliud exigere, et onus adjungere in materia odiosa et restricta, contra omne jus est; tum etiam ex ratione textus, scilicet, quia verisimile est Pontificem non fuisse concessurum dispensationem ad plura beneficia, si defectus illegitimitatis illi fuisset manifestatus. At vero non est hoc minus verisimile manifestato solo defectu sine priori dispensatione, quam illa manifestata. Imo quodammodo difficilior reddetur secunda dispensatio, simpliciter proposito defectu, ac si non esset diminutus, ut sic dicam, per priorem dispensationem, quia de se facilius est successive et per partes defectum tollere, quam totum simul; tum denique quia, juxta hunc sensum, optima ratio redditur illius decisionis: nam irregularitas ex defectu natalium orta reddit personam inhabilem ad unum et plura beneficia, et ablata respectu unius, non est ablata respectu plurium, et ideo non explicato hoc defectu, dispensatio petita ad plura beneficia merito censetur surreptitia. At vero, si textus ille extendatur ad necessitatem exprimenti priorem dispensationem, nec ratio textus illi accommodatur, ut ostendi, nec alia satis probabilis adduci potest, ut paulo post dicam. Et confirmatur, quia si in illo casu prior dispensatio non fuisset limitata et partialis, sed integra natalium restitutio, tunc secunda dispensatio esset valida, etiamsi obtenta esset non expresso defectu natalium, nec legitimatione, quia jam prior defectus fuisset sublatus etiam respectu plurium beneficiorum, et procederet regula legis 16, ff. de Ædilitio edicto, *Quod ita sanatum est, ut in pristinum statum restitueretur, perinde habendum est quasi nunquam morbosum fuisset.* Et ita intellexit textum illum Covarr. in 4, 2 part., cap. 8, § 8, n., 5, vers. *Septimo*, cum Joan. Andr. et Dominic. in dicto cap.; ergo signum est ex vi illius solum esse necessarium declarare defectum, quatenus ablatum non erat. Et hunc sensum verum et legitimum esse censeo; ideoque ex illo textu non probari illam sententiam.

5. Secundo, probari solet ex dicto cap. penultim. de Præscript., ubi dicitur esse surreptitium privilegium amplioris exceptionis, obtentum sine mentione prioris privilegii exemptionis magis restrictæ, eidem, et in eadem materia, et respectu ejusdem concessi: ergo idem censendum est in dispensationibus quæ versantur circa idem, quotiescumque posterior tollit seu ampliat moderationem prioris. Et videtur ampliare illum textum Panormit. ibi, n. 17, ad omnia privilegia, etiamsi non attingant jus tertii; de dispensationibus autem expresse non loquitur: videtur autem esse eadem ratio, ut alii supra citati opinantur. At vero Innocentius ibi, n. 4, restricte intelligit textum illum in materia de qua loquitur, scilicet, quoties primum privilegium cedit in præjudicium tertii, et concessum est cum aliqua limitatione moderante præjudicium tertii, et conservante aliquod jus quod illi de jure communi competit. Nam tunc si obtineatur secundum privilegium amplians primum, et plus derogans juri tertii, necessarium est in secundo facere mentionem de primo, ne sit surreptitium. Ita enim textus ille loquitur, et locum habet ubicumque eadem ratio formalis materiæ seu justitiæ versatur, ut esse solent materiæ decimarum, beneficiorum, et similes, in quibus jus vel præjudicium tertii intercedit. Inde autem non potest ampliari illa regula ad alias materias non ita odiosas, nec cedentes in præjudicium tertii, quia cum simus in materia stricti juris, non est illa decisio extendenda, præsertim cum non sit eadem ratio in aliis materiis. Et ita sentit Innocent. ut dixi, et approbant ibidem Card. et Felin. n. 2, et Bald., n. 10.

6. Et confirmari hoc potest ex verbis ejusdem textus ibi: *Non obstante privilegio Clementis Papæ, per quod privilegii suorum prædecessorum non extitit derogatum, cum de ipsis nullam fecerit mentionem;* in quibus adverte ibi non dici posterius privilegium, non faciens mentionem prioris, fuisse simpliciter surreptitium, sed solum, quoad hoc, ut non deroget privilegii prioribus, quorum mentionem non facit, et specialiter conservantibus jus tertii, quod illi jure communi competeat. Unde, mea sententia, ex illo textu solum colligitur quædam regula notanda. Ut enim videbimus infra tractando de Privilegiis, controversum est an privilegium deroget juri communi, cujus mentionem non facit per clausulam *non obstante*, et communior resolutio est, derogare. Ex dicto ergo cap. penult. colligitur regula limitans

hanc doctrinam, nimirum, si jus commune conservatur alicui, seu in aliquo, per prius privilegium illi concessum, tunc posterius privilegium non derogare juri communi redacto in formam et tenorem privilegii; et rationem reddit Bald., quia jus commune per principem specialiter conservatum fortius est et plus operatur. Et sine dubio hic est casus proprius illius textus, et specialis ejus decisio; ergo non est extendenda ad omnes dispensationes absolutas (ut sic dicam), id est, quæ non versantur circa jus alterius nec illi præjudicant.

7. Denique affertur ratio ad probandam illam surreptionem in omni tali dispensatione, quia merito præsumitur non fuisse principem concessurum absolutam dispensationem, vel abundantius privilegium in eadem re, si illi fuisset propositum, ipsummet, vel prædecessorem prius concessisse dispensationem, cum majori moderatione, quia tam facilis et levis mutatio non debet præsumi de constantia principis. Unde inferunt, si nova ratio et major causa ad dispensandum proponatur, tunc dispensationem posteriorem fore validam, quia tunc cessat dicta præsumptio levis mutationis. Quæ illatio optima est, considerata vi solius rationis propositæ, tamen ego non admitterem consequens, in terminis dicti cap. penultim., et ex vi juris communis. Existimo enim, si posterius privilegium redundet in præjudicium alterius, etiamsi ex nova causa petatur, non derogare priori privilegio specialiter conservanti illud jus tertio, si illius non faciat mentionem, idque non ex vi illius præsumptionis, sed ex dispositione illius juris, quæ, ut existimo, non fundatur in præsumptione, sed in hoc quod privilegium posterius non derogat priori privilegio, quatenus ad tertium quovis modo spectat, nisi illius mentionem faciat. Quod est certum quando prius privilegium fuit directe datum tertio, ut infra l. 8 dicam; tamen in illo capite videtur extendi etiam ad privilegium prius concessum eidem privilegiario, quatenus per illud specialiter jus tertii reservatur. Et hoc verum censeo secundum jus canonicum; an vero idem sit secundum jus civile, aliis remitto.

8. Secluso autem jure positivo, illa ratio et præsumptio videtur non esse magni momenti. Quia imprimis si persona concedens secundam dispensationem sit diversa, ut est successor, non potest dici illa levis mutatio, cum non sit idem qui operatur. Quod inde etiam patet, quia si in casu omnino simili successor aliter dispenses, cum eadem vel alia persona, quam

suus prædecessor, non potest dici leviter mutare qualitatem dispensationis, seu modum dispensandi, sive sciat, sive ignoret quid egerit suus prædecessor; ergo idem erit etiamsi in eodem casu et cum eadem persona aliter dispenset. Deinde idem fere est, quamvis persona dispensantis sit eadem, quia sine animi levitate potest contingere ut, in casu omnino simili, idem princeps dispenset vel gratiam faciat, nunc liberalius et postea moderatius, vel e converso; ergo, licet id faciat cum eadem persona in diversis temporibus, non ideo præsumitur aut imponitur ei levis mutatio. Eo vel maxime quod illa mutatio non est, in casu proposito, per revocationem gratiæ, sed potius per additionem liberalitatis et benignitatis, quæ semper decet principem intra latitudinem causæ sufficientis et justæ. Unde, licet id faciat ex certa scientia, non ignorans priorem gratiam limitatam, non ideo judicabitur leviter mutare consilium: ergo inde nulla sumitur præsumptio, quod non concederet secundam dispensationem, si prioris facta mentio fuisset. Denique, ex concessis ab aliis auctoribus videtur mihi sumi efficax argumentum contra dictam rationem et assertionem; nam quando prima dispensatio postulata a principe fuit negata, et iterum postulata cum eadem causa fuit concessa, major fit mutatio in iudicio vel voluntate principis quam cum prius concedit limitatam, et postea amplam dispensationem, et nihilominus in priori casu secunda non est surreptitia, nec ibi admittitur præsumptio quod princeps non esset tam leviter mutandus si prioris denegationis recordaretur, ut supra probatum est, et admittit Sanci. ibi citatus cum aliis: ergo multo minus valet illa præsumptio in præsentis casu.

9. *Limitatio communis sententiæ supra propositæ.*—*Omnis gratia cum præiudicio tertii valde odiosa est.*—Quapropter aliter censeo esse limitandam et declarandam communem sententiam in principio hujus puncti positam. Dico enim solum habere locum vel in casibus in jure expressis, vel quando necessaria est commemoratio prioris dispensationis, ut princeps non ignoret totum et proprium vinculum, seu impedimentum quod aufert; neque etiam ignoret qualitatem seu quantitatem gratiæ quam facit, per unam vel per plures dispensationes. Prima pars præcipue ponitur propter dictum cap. penult., cujus decisio habet locum in omnibus privilegiis vel dispensationibus, quarum variatio, sive per diminutionem, sive per augmentum, cedit in præiudicium tertii; nam

tunc secunda dispensatio, illam mutationem faciens sine mentione prioris, quantum ad id surreptitia est, seu invalida ex vi illius juris. Quod est valde consentaneum rationi, quia omnis gratia cum præiudicio tertii valde odiosa est, et ideo nunquam censetur valida, nisi ex sufficienti notitia principis procedat. Atque hac ratione qui dispensationem habet non solvendi decimas ex vinea, verbi gratia, si deinde obtineat privilegium non solvendi illas ex area vel fundo, nulla facta mentione prioris, non poterit uti secundo privilegio, quia surreptitium est, quia cedit in præiudicium tertii, quod Papæ non satis fuit illo modo propositum, quamvis hic etiam alia surreptio intercedat, ut statim explicabitur.

10. Secunda pars sumpta est ex dicto cap. 2 de Filiis Presbyter., in 6, nam dispensatio secunda ibi obtenta ideo surreptitia judicatur, quia non fuit sufficienter propositum iudici totum impedimentum quod illi obstare potuisset; et ratio est manifesta, quia tunc voluntas dispensantis non potuit extendi ad id quod latebat: ergo ex ea parte impedimentum mansit integrum, ac subinde dispensatio effectum habere non potuit. Unde colligitur tunc per se non esse necessariam declarationem prioris dispensationis, si alio modo impedimentum totum sufficienter referatur, quia tunc cessat ratio facta, et textus ille non plus requirit, ut probavi. Interdum vero poterit esse necessaria expressio prioris dispensationis, si aliter non possit materia, seu vinculum tollendum per secundam dispensationem sufficienter explicari, ut statim declarabo. Dices: ergo si in exemplo posito de privilegio decimarum aliquis postulet secundum privilegium, exprimendo, et quasi de novo petendo exemptionem in vinea, et area, vel fundo simul, non facta mentione prioris privilegii, erit validum secundum, quia in illo expresse proponitur totum vinculum per dispensationem tollendum: ergo illud sufficit sine declaratione prioris petitionis. Respondetur negando consequentiam; tum quia ibi surreptio ex alio jure nascitur, propter præiudicium tertii, ut declaravi; tum etiam quia ibi est necessaria notitia prioris dispensationis ut qui concedit secundam, plene intelligat nocumentum Ecclesiæ. Nam qui postulat exemptionem a solutione decimarum ex tot possessionibus, nulla facta mentione prioris privilegii, tacite indicat antea nullas decimas ex illis possessionibus retinuisse, et ita Papa non intelligit præcedentem diminutionem fructuum Ecclesiæ, et consequen-

ter non percipit totum præiudicium ejus, ideoque non censetur habere voluntatem inferendi illi novum nocumentum. Quæ ratio optima est, et accommodari recte potest ad casum textus in dicto cap. penult. de Præscript.; ibi enim religiosi, qui prius fuerant exempti cum quadam moderatione, postea obtinuerunt exemptionem simpliciter, nulla facta mentione prioris, nec moderationis in ea contentæ, quod totum cedebat in majus præiudicium Episcopi, quam posset ex simplici posteriori supplicatione intelligi, ideoque merito surreptitia judicatur, quod magis ex sequenti puncto declarabitur.

11. *Exemplum de beneficiato valde proprium.*—Addidi ultimam partem regulæ, quia, licet in dictis juribus non contineatur expresse, necessaria ratione colligitur: nam, si princeps non satis intelligat qualitatem et quantitatem gratiæ quam confert, non potest illam velle; ergo si ex taciturnitate prioris dispensationis sequatur illa ignorantia, clara est surreptio; nam est in re valde substantiali. Declaratur exemplis. Primum sit de beneficiato qui obtinuit dispensationem non residendi per quinquennium cum perceptione fructuum, qui, expleto quinquennio, aliam similem postulavit, nulla facta prioris mentione; tunc enim secunda dispensatio surreptitia est, ut recte dixit Joan. Andr., quem refert et sequitur Felin. supra, num. 2. Quod intelligendum puto quando tempus illud est continuum, propter ea quæ infra dicam. Posset autem ratio ex dictis reddi, quia ibi intervenit præiudicium tertii, quod non satis declaratur: tamen optima ratio est, quia Papa nunquam concipit se dispensare in decennio residentie, quia concipiendo prius unum quinquennium, et postea aliud sine recordatione prioris, nunquam concipit decennium, quod verisimiliter non concessisset, si intellexisset. Sic enim qui furatur per minima, quando pervenit ad ultimum in quo gravis quantitas consummatur, si illud advertat, longe gravius peccat quam si ignoret: ergo signum est illam circumstantiam multum variare voluntatem. Recte ergo dicemus tunc esse necessariam expressionem prioris dispensationis, ut princeps intelligat quod concedit, et totam relaxationem quam in lege facit.

12. *Exemplum castitatis dispensandæ.*—*Tertium exemplum de uxoricidio.*—Secundum exemplum esse potest, si quis habens votum castitatis obtineat dispensationem ad unum matrimonium contrahendum, et mortua uxore iterum petat dispensationem ad matrimo-

nium, tacita priori: existimo enim posteriorem esse surreptitiam, propter rationem proxime factam, quia non potest Pontifex concipere quantam relaxationem faciat in illo voto. Tertium exemplum sit, si aliquis semel obtinuit dispensationem ad matrimonium in impedimento uxoricidii cum machinatione, et postea iterum simile crimen committat, et aliam dispensationem de illo petat, non facta mentione prioris; argumento, l. 3, cap. de Episcopali audien., dicens: *Ut remissionem veniæ criminali, nisi semel commissa, non habeant*, etc. Ratio ergo est, quia secundum crimen ejusdem rationis, præsertim adeo grave, commissum post remissionem primi, magis penam meretur, et difficilius remissibile est. Ita ergo in præsentis, secunda dispensatio est longe difficilior in secundo crimine post dispensationem in primo crimine, et ideo neque gravitas impedimenti, neque gratia quæ conceditur, sufficienter concipitur sine expressione prioris dispensationis; et ideo merito posterior surreptitia judicatur; ut bene notavit Sanci. supra, num. 20, et sumitur ex auctoribus quos citavi.

13. *Quando declaratio prioris dispensationis non sit necessaria.*—Ex his ergo videtur satis declarata et probata tota assertio, et regula posita. Ubicumque autem non intercesserit aliqua circumstantia ex dictis, seu similis connexio inter posteriorem dispensationem cum priori, non erit necessarium priorem exprimere, ut posterior valida sit. Et hoc modo intelligo Panormit. in dicto cap. penult., n. 13, dicentem *quoties conceditur privilegium super separatis, vel super eisdem, vel quasi super executione primæ gratiæ, non esse necessarium ut de prima fiat mentio*: nam illa particula *vel super eisdem*, ut non repugnet aliis dictis ejusdem auctoris, ita intelligi debet, ut, per se loquendo, non sit necessarium priorem dispensationem exprimere propter solam pluralitatem dispensationum, etiamsi circa idem versentur, sed solum in casibus in jure expressis, vel quando aliunde non potest satis explicari gravitas rei cujus dispensatio postulatur, nisi priorem dispensationem commemorando. Et ita exponit Panormit. Innocentium et alios; ita ergo intelligenda erit prior sententia, ut vera sit: ratio autem non est alia, nisi quæ insinuat ab eodem Panorm. et quam sæpe tetigimus, scilicet, quod nullum sit jus requirens per se hanc conditionem ad valorem secundæ dispensationis, etiam circa eandem rem; neque est ratio quæ illam probet, nisi quando